

De cyanosi : dissertatio inauguralis medica quam consensu et auctoritate gratiosi medicorum ordinis in Universitate Litteraria Friderica Guilelma ut summi in medicina et chirurgia honores rite sibi concedantur die VI. mens. Augusti anni MDCCCXXXIX h.l.q.s. publice defendet / auctor Rudolphus Herrmannus Kuntze ; opponentibus F. Ahrens, L. Buettner, W. Steinberg.

Contributors

Kuntze, Rudolph Herrmann, 1812-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typis Hachtmannianis, [1839]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vkh4staz>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE ³
CYANOSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILIELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. MENS. AUGUSTI ANNI MDCCCXXXIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RUDOLPHUS HERRMANNUS
KUNTZE,
NEOMARCHIUS.

OPPONENTIBUS:

F. AHRENS, DR. MED. ET CHIR.

L. BUETTNER, DD. MED. ET CHIR.

W. STEINBERG, DD. MED. ET CHIR.



BEROLINI,
TYPIS HACHTMANNIANIS.



STATIONERY

THE STATIONERY DEPARTMENT
OF THE UNITED STATES GOVERNMENT
WASHINGTON, D. C.

FOR THE SALE OF
STATIONERY AND PRINTING
MATERIALS

FOR THE SALE OF
STATIONERY AND PRINTING
MATERIALS

FOR THE SALE OF
STATIONERY AND PRINTING
MATERIALS

FOR THE SALE OF
STATIONERY AND PRINTING
MATERIALS

PARENTIBUS SUIS

DILECTISSIMIS

NEC NON

AVO SUO

KUNTZE

CARISSIMO, MAXIME DE SE MERITO

HASCE
STUDIORUM PRIMITIAS
INTIMO EX ANIMO
DEDICAT

AUCTOR.

Introductio et Aetiologia morbi.

Cyanosis is est morbus, in quo ex vitio seu deformitate aliqua vel cordis, vel magnorum vasorum sanguiferorum, vel pulmonum sanguis arteriosus et venosus inter se commiscentur, aut circulatio sanguinis ita impeditur, ut sanguis, sufficientem quantitatem oxygenii ex aëre non recipiens, principio carbonico abundet. Quem morbum, cum sanguinem ad vitam sustinendam maxime necessarium mutari omnino non sinat, summum in ipsam vitam effectum exercere et multas morbosas mutationes efficere, apertum atque conspicuum est. Tegumenta communia et membranae mucosae in locis praecipue tenui epidermide praeditis colore livido tinguntur; itaque potissimum in labiis, palpebris, oculis, in extremis digitis et sub unguibus. Ab hoc signo pathognomico et maxime denotante morbus nomen du-

cit Cyanosis *), quo vocabulo primus Baumes, Professor MontPELLIENSIS utitur **). Aliis eundem morbum nomine Cynopathia ***), Icterus violaceus, Coerulosis, morbus coeruleus, Cyanodermia †) Dishæmatisis ††) designant. —

Attamen coeruleus illa tegumentorum communium color cyanosi non est proprius quidem, sed in nulla alia corporis humani affectione tam constans et perpetuus invenitur. Omnes morbi, in quibus aut per exiguum aut per longius temporis spatium expansio pulmonum necessaria aut circulatio sanguinis intercipitur momentaneum vel persistentem livorem totius corporis aut certe singularum partium prae se ferre possunt. Quare colorem lividum in asphyxiis, in multis pulmonum et cordis morbis, in apoplexia, in chlorosi, in scorbuto observamus. Atque etiam in feminis, quae re-

*) Α κυανόω, colore coeruleo tingo, non a κυανός coeruleus et νόσος morbus, uti scriptores vulgo falso exhibent tunc enim ο in penultima producere non liceret, quod jam recte monuit C. S. Kühn sub h. v. apud Blancardum, auctorem lexicī medici, cujus editionem novissimam curavit ille.

***) Fondamens de la science méthodique des maladies cl. 2. deoxygénères genre 2.

***) κύανος, coeruleus, παθήσια, morbus.

†) κύανος-δέρμα, cutis.

††) δῖς, particula, quae difficultatem vel pravitatem ejus rei significat, quae vocabulo ille, cui annexa est, exprimitur; τὸ αἷμα sanguis.

entione fluxus menstrui premuntur, color coeruleus
cernitur *). Multi quidem scriptores illum aspectum
lividum ad Cyenosin referunt, quam retentione fluxus
menstrui oriri posse arbitrantur, Sed Elias Gintrac **)
satis comprobavit, hunc morbum a cyanosi esse sejun-
gandum, et ad morbos similitudine quadam externa,
aequaquam vero natura cyanosin veram mentientes, per-
tinere. Accedere mihi videtur ad hanc morborum se-
riem etiam Febris coerulea Goelis, cujus praecipue Gö-
lis mentionem acit et quam Most ter observavit. Cor-
ripit praecipue infantes quatuor vel duodecim menses
natos, qui victu idoneo, accurata munditia, omni om-
nino cura carent. Infantum respiratio est oppressa,
pulsus parvus, durus, spasmodicus, tota corporis super-
ficies livido colore superfusa. Tales accessiones usque
ad mortem periodice revertuntur, quae saepe proxima
instat. Secundum Mostii opinionem hic morbus non
suo jure „febris coerulea“ nominatur, sed ille eam po-
tius paroxysmum asthmatis spasmodici infantum esse,
vult. Referunt tandem etiam sudorem apud infantes raro
occurrere, quo epidermis livida apparet.

Sunt porro quaedam venena, imprimis narcotica,
quae atoniam paralyticam pulmonum gignere possunt,
ex qua tale simile impedimentum oritur, ita ut sanguis
minus justam copiam oxygenii recipiat, quo denique

*) Diction. de sciences méd. Vol. 3. Maladie bleue.

**) Révue médicale Franç. et étrangère. T. IV. pag. 106.

fit, ut tegumenta communia colore coeruleo tingantur, Ad quae numeranda sunt: Opium, strychnos nux vomica, upas-tienté, Faba St. Ignatii, acidum nitricum parva in quantitate venis injectum *). Prae aliis omnibus remediis autem usu argenti nitrici saepe contra epilepsiam diu applicati, livor tegumentorum communium efficitur. Ita I. A. Albers narrat, foeminae cui-dam quae contra epilepsiam per tres annos hoc remedio uteretur, faciem, collum, manus, scleroticam et un-gues livido colore fuisse tinctos et similes observationes Roget et Butini **) referunt. Planche ***) etiam ca-sum in foemina 80 annos nata vidit, in quo tota cor-poris superficies usu Argenti nitrici fusco-coeruleo ap-parebat.

Omnes hi morbi cum cyanosi, de qua hic disseri-mus, non sunt permiscendi, nam praeter illum lividum communium tegumentorum colorem multa alia insignia symptomata praebet. Antiqui medici hunc morbum non cognovisse videntur. Solus Paracelsus †) morbi men-tionem facit, quem Icteritiam coelestinam seu cyaneam nominat, cujus tamen definitio accurata deest. Recen-tioribus autem temporibus, quibus circulationis systema notum, et perspectum est, Cyanosis multis observatio-nibus et cadaverum sectionibus satis est illustrata.

*) Ibidem.

**) Butini: De usu interno praepar. Argent. nitric. Genevae 1815.

***) Planche: Journal de Pharmacie. Février. 1822.

†) Paracelsus de Icteritiis Cap. I. pag. 487.

Causae, symptomata et decursus cyanoseos.

Deformitates et vitia cordis, magnorum vasorum, vel pulmonum cyanosin procreantes multas offerunt varietates, quae omnes aut congenitae aut acquisitae sunt. Dividitur ideo Cyanosis in congenitam et acquisitam; quae divisio, falsis illis morbis coeruleis rejectis, unica est, quam concedere et probare possumus. Cyanosis congenita, quae frequentius quam acquisita observatur, errari potest 1) si viae communicationis inter systema sanguineum arteriosum et venosum apertae permanent. Tales viae sunt: ductus arteriosus Botalli et foramen ovale, quae in embryonibus quidem patent, postea vero, mutata via rationeque circulationis, concreescere debent. Sin igitur unum vel alterum ostium post partum non clauditur, sanguinis circulatio rite absolvi nequit. At tamen non sola haec vitia adesse debent ad procreandam cyanosin, sed etiam sanguis arteriosus et venosus inter se commissci revera necesse est. Multa enim exempla afferuntur in quibus, hiante foramine ovali aut ductu arterioso Botalli nulla morbi coerulei signa in vivis aegrotis apparuere *). Leges, quibus impeditur, ne sanguis arteriosus cum venoso misceatur, adhucdum satis sunt obscurae. Nonnunquam valvulas proprias ad sanguinem retinendum exstitisse, referunt et Meckel **)

*) Fodéré. Physiolog. pos. t. I. p. 216.

***) Meckel, Handbuch der pathologischen Anatomie. T. I. p. 426.

observavit, cyanosin foramine ovali hiante, saepe non exoriri, dummodo arteria secundum naturam se habet pulmonalis. Memorabile est, foramen ovale, raro etiam ductum arteriosum Botalli in castore et in lutra marina saepe apertum esse inventum, quae formatio tamen neque vivendi rationi horum animalium convenire potest, neque pro norma haberi debet. In his enim, sicut in homine, haec formatio solis embryonibus est propria videntur tamen hae deformitates sine valetudinis affectione perferri ita ut inter rationem vivendi organisationem horum animalium nullum discrimen intercedat *).

2) Morbus coeruleus saepe nascitur simul cum partu, si structura praeter naturam est cordis. Cujus quam maximae varietates sunt observatae. Ita invenerunt cor ex uno atrio et ex uno ventriculo constans, formationem apud amphibia normalem. Nonnunquam aorta et arteria pulmonalis ex ventriculo, dextro, proveniunt, aut aorta ortum sumit simul ex duobus ventriculis. Occurrit etiam talis arteriarum mutatio, ut arteria pulmonalis ex ventriculo sinistro, arteria vero aorta ex ventriculo dextro ortum ducat. Hac ratione e pulmonibus proveniens iterum in pulmones revertitur sanguis. Raro plane deficit septum cordis**). Stendart***) vero describit cor infantis die decima post partum mortui, ubi omnino deerat septum cordis atque etiam uno tantum

*) C. G. Carus. Lehrbuch der Zootomie, pag. 606.

***) Morbi coerulei exemplum memorabile auctore Dr. G. Maru. Berolini 1820.

***) Harlesi neues Journal VII.

atrio cor erat instructum, venis pulmonalibus a venis
 cavas sejunctis. Arteria pulmonales aortae soboles fuit.
 Chemineau unum casum refert, in quo cor tres conti-
 nebat ventriculos; *) in dextro recipiebantur venae
 cavae, in sinistro venae pulmonales, e ventriculo deni-
 que praeternaturali prodierunt aorta et arteria pulmo-
 nalis. Alium casum Richerand profert. Invenit in homine
 41 annos nato, sub symptomatibus cyanosis defuncto,
 parietem ventriculorum perforatam ostio oblongo, dimi-
 illi digiti latitudine, oblique ex antica ad posticam
 partem, a summo ad imum. Ad hanc autem directio-
 nem columna exstitit carnosae, quasi in ventriculo dex-
 tro posita et ita constructa ut apertura illa, valvulae
 instar potuerit claudi, et illa sanguinem, quominus in
 ventriculum sinistrum refluat impedit immo omnem
 sanguinem in posteriorem abire coegit. Haec igitur
 partium dispositio evidenter indicat istum transitum
 fluidi ex hoc ventriculo in dextrum atque pulmonalem arte-
 riam. Canalis vero arteriosus satis extensus fuit et li-
 beram praebuerit transitum sanguini ex pulmonali arte-
 ria in arteriam aortam. Parietes denique ventriculorum
 aequali fuere crassitudine.

3) Cyanosis congenita adest, si status arteriarum
 pulmonalium est irregularis. Inter primaria autem vi-
 tia referuntur: Arteria pulmonalis aut ad totum ejus
 amplitudinem aut solis singulis in locis angustata, rigi-
 ditas, induratio valvularum sigmoidearum, prope isth.

*) Hist. de l'acad. de sciences 1699. pag. 37.

mum hujus vasis sitarum; vel etiam sanguiferorum vasorum talis dispartitio ut e pulmonibus retro in pulmones, partim e vena cava directe in arterias, sanguis deferatur.

Haec praecipua vitia deformitatesque sunt, ex quibus cyanosis congenita exoritur. Auctores quidam chymicas causas ad producendam cyanosin culpant, quae vero opinio hypothetica et nullis omnino certis probata observationibus est. Cyanosis congenita non semper statim post partum apparet, si vitia exigua congenita adsunt, sed tantum in periodo dentitionis prodit.

Cyanosis acquisita omnibus illis affectionibus cordis seu magnorum vasorum sanguiferorum seu pulmonum nasci potest, quae circuitum sanguinis debitum aequae ac respirationem naturalem laedunt. Tales morbi sunt carditis, suppuratio septi seu valvularum cordis, induratio et ossificatio harum partium et alii. Ex vehementibus pectoris contusionibus morbus quoque fieri potest.

Evenit nonnunquam ut foramen ovale, etiam aetate progressa, iterum se aperiat. *) Coarctationes in sectionibus cadaverum quam frequentissime inventae Arteriae pulmonalis, foramine ovali seu ductu arterioso Botalli patenti, procreantur, itaque his in vasibus non pro vitiis congenitis sed acquisitis sunt habendae. **)

*) Essai sur les maladies et lésions organiques du coeur etc. Paris 1826. pag. 272.

Richerand. Eléments de Physiologie. 1807. T. I. pag. 292.

**) Nasse, Burns, Reils Archiv.

Quae ex causis antea descriptis morbum efficiat rarissime, dum vivit aegrotus, constitui potest. Sed illa tam gravia vitia promutationes in corpore multas gignunt, ad quas explicandas nunc accedo.

Sanguis est liquidus, difficile coagulans et rarissime placentam formans. Haec semper infirma, facile depresso et ad rationem seri valde exigua. Praebet sanguis non naturalem illum rubrum colorem sed maxime nigrescentem, vel ad violaceum seu coeruleum vergentem; pondus ejus specificum est levius quam illud sano sanguinis et sero quidem abundans, albumine et Fibrina vere omnino caret. Probabile etiam est, et formationem et copiam sanguinis globulorum mutatam esse. Functiones omnes cum sanguine arcte connexae valde perturbantur, ut respiratio, digestio, functiones nervorum et musculorum. Chymificatio tarde procedit aut omnino vitiosa est et laesa. Nutritio totius corporis languida, macies et laxitas. Porro corporis calorem naturalem, a sanguine dependentem et internum et externum, valde diminutum invenimus, quare omnes aegri rigoris impatientes sunt. Atque adeo a debito grado descendit, ut pro eo (28° Réaumur) non majorem quam 25° R. inveniamus *). Secretiones naturales sunt imminutae et coeundi cupiditas raro aegroto inest. Dupuytren, Langlet aliique medici, partes genitales exiguum vel nullo modo functiones suas exsequi, observa-

*) Schönlein. Pathologie und Therapie. B. 2. pag. 56.

verunt. *) Quod attinet ad temperamenta, infantes cyanosi affecti morosi et litigiosi, adulti vero tranquili et quietem adamare dicuntur. In superficie corporis invenimus praeter illum jam saepius commemoratum lividum colorem, unguium phalangum propriam conditionem; sunt enim crassi, globosi et ungui, quasi ungulae simile ornati, ita ut fere capitati appareant, lati fiant et superne distent — quae formationes in ultima vitae foetalis periodo, constantes sunt et secundum naturam. Cyanosi altissimum gradum ascendente, invenimus etiam ungues corrugatos. Aegri caput amplum exhibetur et superiores extremitates, longiores justo, usque ad genua pertinent. Propria est illa a Générac descripta, dilatatio narium, quae inde fit, quod alae nasi inter se distant. Nonnunquam et glandulae apud infantes imprimis submaxillares et colli tument, ita ut facile habitus scrophulosus suspicari posset, aut omnia morbi scrophuloso symptomata simul adsunt. —

Morbi decursus celeritas pendet partim a causa eum efficiente, quae saepe ita magna est, ut infans statim post partum, ubi vita foetalis vitae respirationis cedit, moriatur, partim a vehementia potentiarum obnoxiarum, a tempestate, cura etc., quot vero annos cyanosi affecti vivere possint, id determinari nequit. Saepius aegri usque ad tricesimum annum viuunt et Allan Burns mentionem facit cujusdam, qui cyanosi laborans usque ad quadragesimum secundum aetatis annum vivit

*) Dupuytren, Langlet, Bulletin des Sciences méd. 1810. T. V. pag. 32.

Cyanosis igitur est morbus chronicus vigentibus causis. saepe nociferis, seu phychicis seu somaticis, contentio-ribus vel exiguis, paroxysmi aegrum corripunt, qui praecipue haemorrhagiis e naribus, ore, pulmonibus, ex leo et molesta respiratione, Dyspnoë, Orthopnoë, designantur, cum quibus symptomatibus saepe syncope, asphyxia, convulsiones, quin etiam mors se conjungunt. Tales paroxysmi per intervalla saepe revertuntur, et Guilelmus Nevin *) semel paroxysmos morbi coerulei certum periodicum typum obtinere observasse se commemorat. Qui tamen casus unicus, a scriptoribus traditur. In paroxysmis symptomata crescunt gradatim. Tegumentorum communium color, praesertim partium superiorum tam lividus evadit, ut fuscus appareat, ungues fere nigri, oculi rigidi cernantur. Cordis motus, a libero aegri statu regulares, celerrimi, turbati dig-oscuntur, si manus loco illo imponitur, cui cor subest. Sentitur quaedam undulatio et saepe omnis motus eva-escit. Pulsus celer, parvus intermittens, rarissime ple-us. Respiratio est brevis, irregularis, neque raro tiam magna pectoris oppressio. Atque interdum Dys-noëa tam gravis exoritur, ut aegrotus suffocari sibi videatur. Sitis nonnunquam vix sedanda, aut ructus vo-aitusque obvii sunt. Facies, quae initio sanguine ni-rescente turgescibat, aequae ac in sanguinea apoplexia eri solet, pallida, conspicitur et omnino aeger in sen-ilis videtur. Calor jam ante exiguus magis diminuitur,

*) Medical and Chirurg. Review. 1796.

sudorque frigidus erumpit. Paroxysmo terminato, aegri summam virium imbecillitatem accusant torporemque et tanquam elisionem omnium membrorum sensumque ac si prolaberentur. Tales paroxysmi, qui primo quadrantem vel dimidiam horam perdurant, sensim sensimque frequentius et diutius, ita ut vel duas horas superent, aegrotum corripunt; qui tandem in continentem incidit de fatigationem, pedetentim vires ammittit, et mortem cum miserrima vita commutat. Quod accidit quidem omnibus vitae periodis, praecipue vero illis, quibus corpus maxime crescit et augetur. Itaque inter decimum mensem et secundum aetatis annum, periodo dentitionis, vel inter septimum et decimum annum vel ineunte pubertate. Quae periodi igitur quam periculosissimae aegrotis sunt.

Mors adducitur aut in illis paroxysmis antea commemoratis, per suffocationem vel complicatione cum alii morbis e. g. cum morbillis, dyssenteria, qui in hoc casu characterum valde putridum praebent. Raro tamen evenit, ut morbus coeruleus cum aliis morbis copulatus inveniatur. Solae cachexiae frequenter observantur, nec raro etiam hydrops, qui a pedum oedömate more solito orditur. Interdum haemorrhagiae quoque aegrotum necant et omnino ei saepe sunt molesta, nam ita ad eas inclinatur, ut exiguis vulneribus sanguinis profluvia vitae aegri periculosa proveniant. Probabile est, hanc rem e diminuta coagulandi vi sanguinis esse depromendam.

Diagnosis.

Ad Diagnosin constituendam antea jam dicta symptomata paucis verbis sunt iteranda.

Pathognomicum signum principale color lividus ille, qui paroxysmorum tempore augeri solet, in locis praecipue tenui epidermide praeditis, itaque in labiis, palpebris, oculis, in digitis extremis et sub unguibus adest, quocum symptomata vitii cordis seu pulmonum se coniungunt. Propria narium et unguium fabrica, extremitates superiores justo longiores, gracilis aegroti habitus, cutis frigida, quasi serpentis tangenti digito se offerens, facile intelliguntur. Aegri, laboribus vel exiguis susceptis, cum musculorum vis valde prostrata sit, fatigantur et unamquamque tempestatis commutationem sentiunt, corporis naturali calore valde diminuto. Quamobrem impatientes frigoris locos calidos, radios solis quaerunt quam studiosissime. Omnes egestiones e. g. cutis, uteri admodum tardae sunt. Cordis ictus inquiete quidem regularis, contentionibus autem iam exiguis excitatur, pulsus parvus, debilis, vacuus, respiratio celeris et parva et brevis.

Cum aliis cordis seu pulmonum morbis cyanosin non facile commutare posse ex antea dictis, facile apparet.

Prognosis.

Prognosis quidem ab amplitudine vitii, morbum recreantis, quae ex affectionum vehementia facile dig-

nosci potest, a complicationibus, ab aegroti conditione, pendet, sed semper tristis, praesagienda est, quia morbus vel congenitus vel acquisitus usque ad mortem permanere consuevit eamque accelerat. Magna vitia praematurum mortum aducunt. Si aegrotus in periodo evolutionis aliqua versatur, semper est timendum ne moriatur, praesertim cum diligentissima et accuratissima cura non gaudeat, sed pauperem vivendi rationem degere sit coactus. Si sufficationes saepe et brevi temporis spatio interjecto, revertuntur, si alii morbi, prae aliis phthisis seu hydrops cum cyanosi se conjungunt, in summo periculo aegrotus versatur. In raris tantum casibus vis naturae medixtrix auxilium affert et medicorum ars raro aegrotum vitam usque ad vicesimum vel tricesimum aetatis annum conservare potest. In cyanosi acquisita prognosin non tam malam esse et hunc morbum non semper esse lethalem contendunt, et sanae aegroti vitam conservabimus, si vitia acquisita, morbum procreantia tollere possimus. Magis hic sane vis naturae medixtrix valet.

Cura.

De ratione medendi cyanosi multa sunt dicta scripta, sed nullam usque adhuc certam viam invenerunt. Sed sedulo et assidue nobis cogitandum est, novas vias rationesque detegantur pro sanandis morbis hucusque in sanabilibus.

Schweighäuser primus prophylacticam curam proposuit, profecto haud omnino rejiciendam. Putat enim naturae vim, in casibus, ubi infantes cyanosi affecti nascuntur solam externarum partium formationem spectare, quod certe magis hypothetica quam causis constituta sententia est, et ex qua concludit, cyanosin infantis impediri posse sanguinis detractioe in matre instituta gravida, ejusque propria vivendi ratione e. g. motu frequenti etc. Quae cura prophylactica igitur in matribus instituenda esset, quae saepe infantes cyanosi affectos pepererunt, neque negari potest, infantes, qui post alterum cyanosi laborantem nascuntur eodem morbo remi. Most sub articulo de cyanosi *) narrat casum, quo tamen non certa testimonia adducuntur, ita ut cujus effectus usque adhuc ignotus sit.

Aliam curam radicalem Thiebault laudat **). Determinatam organorum circulationi inservientium non modo cyanoseos causa sed pro praeternaturalis circulationis effectu habens, censet optimum fore remedium prophylacticum et simul radicalem, neonatis quaedam signa orbi coerulei offerentibus, statim post partum per funiculum umbilicalem sufficientem sanguinis quantitatem extrahere, aut si necesse videatur, ex vena jugulari et ex vena brachiali, aut denique topicas sanguinis depletiones sanguisugarum ope instituere ad diminuendam scilicet plethoram. Quae medendi ratio caute ad-

*) Mosts Encyclopädie. 2te Auflage. Cyanosis.

***) Journ. gén. de méd. et chirurg. par Sedillot. t. 17. pag. 273.

hita mihi non contemnenda videtur. Sanguinis depletiones praecipue apud infantes habitus plethorici, versus caput exhibentes turgescientiam et pulmones, bonisque viribus praeditos, bono cum fructu institui posse, probabile est. Quod ad emissiones sanguinis ex venis anteponendae sanguisugae mihi videntur postquam jam ex funiculo umbilicali sanguinis emissio facta est. Liscovius *) narrat, infantem, cyanosi affectum, non nullis hebdomatibus interjectis, a morbo fuisse liberatum, postquam nihil esset applicatum quam ut sanguinis emissionem institueret, digestionem adjuvaret et balnea aromatica applicaret.

Dr. Dittmer tandem rationem medendi proposuit**), quae quidem ex rationalibus causis et assidua cogitatione nata, magis theoria splendida quam in praxi utilis mihi videtur. Ad ductus arteriosi Botalli oblitterationem promovendam — nam cyanosin ex alia causa orta, remittit — sequens ab illo consilium maxime laudatur. Per tres quatuorve dies post partum quam minimam relinquere neognatis quietem, non concedere otium et somnum iis. Hunc saepe interrumpere et taedium omne excitare, ut saepe fletus provocaretur. Clamor tempore fletusque pulmones sanguine repleri et nimis expandi et pro maxima parte ex dextro atrio sanguinem exire. Hocce tempore ductum arteriosum

*) Liscovius im Summarium des neuesten aus der gesammten Medicin. Leipzig. 1830, t. I. pag. 161.

**) Hufelands Journal 1836. No. 5.

laudi, sanguine venoso jam nequaquam per illum transi-
tente. —

Sed valde mihi periculosus hujus ingeniosi consilii usus
videtur. Nam fletu certe congestio sanguinis ad pulmonis
adducitur, quae facile sufficationes impetum vehementem
signere et magnum periculum vitae aegroti afferre potest.
Quare in applicatione hujus rationis medendi magnopere
cautere debemus, ne auxilio nostro interficiamus.

Dr. Dittmer quinque morbo coeruleo affectus in-
fantes hac curare se sanasse vult, quam saepe esse adhi-
endam refert, cum in decem cyanosis casibus, novem
ductu arterioso Botalli causam peterent. Admiror au-
tem, cyanosin ei tam saepe occurrisse, cum medici nu-
merosa praxi gaudentes eum rarissime observasse con-
tentur.

Alias methodos radicales cyanosi medendi non cog-
novimus, et cum omnes usque adhuc multis tenebris
sunt involutae nobis illa superest cura, qua quidem
egroti valetudinem non restituere sed ejus vitam us-
que ad tricesimum aetatis annum protrahere possumus,
vera palliativa, quae has nobis indicationes proponit.

1) Symptomata constantia sunt mitiganda; adhuc
pertinent:

a) Calor corporis diminutus. Quam ob causam ae-
rotorum vestimenta sint calida, calorem moventia ae-
qualem et parem per universum corpus. Aër sit purus,
nullis exhalationibus aut miasmatibus infectus, tempera-
tura sit in habitatione sicca, nam humida quam maxime

nocet; ab illa frigus, quo continenter aegri cruciantur, adaugetur. Ideoque calor sit major, quam esse solet ad 17 aut 18° Reaumur. Praesertim vere solis lux prodesse videtur. Vere et autumnno, praecipue ad vespas caveant aegroti quam maxime, ne refrigerio se exponant. Balnearum satis calidarum usus, interdum repetitus utilitatem magnam affert.

b) Sanguinis mixtionem vitiatam quam maxime corrigere debemus. Quod efficimus, cum functiones cordis adjuvamus motibus passivis e. g. vectione, equitatione, oscillatione etc. Cum venosi sanguinis in arteriosum commutatio in pulmonibus turbata sit, aliorum organorum, quae similes functiones habent, actio movenda e. g. Epidermidis, hepatis, renum. Ad incitandas epidermidis functiones adhibemus vitae rationem jam antea de scriptam, praecipue balnea calida, quibus Kali et Herbae aromaticae adduntur.

Magni momenti est hepatis actionem excitare praesertim cum alvus obstructa est. Calomel in magnis dosibus porrigere non possumus, cum in cyanoticis ptyalismus facile oritur et cachexia mercurialis vitam aegri summum in periculum inducere potest. Quamobrem melius rheo cum cremore tartari utimur, et alvo obstructa, cum jalappa seu Extracto Saponariae, ita ut per diem tres pulti similes dejectiones efficiantur. Renum efficientiam agimus usu digitalis, squillae, cum liquore Kal. acetic., hydrope cum cyanosi conjuncto. Ad corrigendum sanguinem praeter naturam mixtum, id

est ad restituendam ex aliqua parte oxygenium, porro proposuerunt remedia magna copia oxygenii abundantia in corpus ingerere. Alii suadebant gas oxygenii inspirationem, alii Kali muriaticum superoxygenatum proposuerunt, cui aliquantum oxygenii inesse scimus; sed nullos effectus ex his rebus viderunt, ita ut ex sanguinis transfusione, qua multi auxilium afferre voluerunt. Galvanismus etiam est propositus et consilium positivum polum in vase nudato applicandi dederunt, quod vero ita ut spiritus electricus a nullo est expertus.

2) Symptomata periodice et irregulariter apparentia sunt coercenda vel mitiganda. Studendum nobis imprimis est, ut interdum apparentes paroxysmos, qui praecipue insultus suffocativos secum ducunt, vel mortem suffocatione impediamus, caveamus. Quare motus non nisi leves utiles sunt et videndum est, ne corporis vires aegrotus nimis contendat. Sumantur alimenta convenientia, stomacho non obnoxia, multum nutrientia sed in parva copia porrecta. Neque sunt rejicienda ex regno animali et ex vegetabili, dummodo sint aromatica, amoena, ne ventriculus alimentis oneretur. Vulgo enim aegrorum digestio laesa est et facile status gastricus oritur, a quo paroxysmi statim provocantur. Vinum quoque parva in quantitate cum aqua mixtum convenit. Ne aeger refrigerio se exponat cavendum est, cum catarrhus quisque magnum in periculum aegrum inducit. Aër liber autem multo melior est quam clausus, et Hunter affirmat, paroxysmos, vehementiae majorem attingit.

gere gradum in aegris urbes habitantes, quam in iis, qui rure vitam degunt. Praecipuam digitalis usus ac impediendos insultus suffocativos utilitatem praebuit, quam in parvis dosibus per longum temporis spatium adhibere possumus. Si tamen suffocationes aegrum premunt, si systema, sanguiferum valde est turbatum et turgescencia ad cerebrum intensa, qui demum status cognosci potest ex faciei colore, fortissima carotidum pulsatione, pleno et celere pulsu, hirudines pro aegri aetate et virium conditione applicandae sunt, aut, necessitate urgente, venaesectio. Si respiratio intercipitur et pulsus debilitatur seu evanescit, succedunt anxietates et lypothymia, tum externe et in terne stimulantia exhibenda sunt, igitur ad nares admoveantur vapores, tinctura Castorei, Liquor ammonii succinici. Irritationes epidermidis sinapis in pectore et musculo deltoideo applicatis, sunt instituentae; frictiones porro thoracis calido panno laudantur. Praescribendam est quies et erecta corporis positio in sedendo.

Clysmata leniter evacuantia sunt necessaria cum et levem derivationem gignant et excrementa flatusque educant. Pediluvia conveniunt acria, cum sale culinari.

3) Medico magnae curae sit, ut aegrotum per illas vitae periodos ducat in quibus vita eorum maximo in periculo versatur, cum, iis superatis, semper fere aegroti bene obtemperanti medici praeceptis, multos vitae annos promittere possit. Primo nobis igitur studendum est, ut tales periodos quam maxime retardemus, e. g. pubertatem somatica et psychica cura, tum au-

tem, iis agressis, sunt omnia illas quae antea dixi praecepta quam accuratissime observanda.

De cyanosi acquisita pauca tandem addenda. Si morbus adest, neque causa tolli potest, eodem modo eum curare debemus, quo cyanosin congenitam. Cura prophylactica hic quoque laudanda exigit accuratissimam curam morborum illorum, quibus cyanosis nasci potest.

V I T A.

Ego Rudolphus Herrmannus Kuntze, natus sum Lichtenowii in pago ad Friedebergum, oppidum in Neomarchio sito, die XXVI. mensis Octobris, anno MDCCCXII, patre optimo Guilelmo Ernesto, matre dilectissima Guilelma e gente Lietzmann, quos ambos adhuc vivos intimo ex animo colo. Evangelicae confessioni sum addictus. Primis quibus aetas juvenilis instrui solet litterarum rudimentis a domesticis praeceptoribus imbutus, Berolinum petii et septem per annos Gymnasium Berolinense, quod tum tempo-

ris Directore Beat. Köpke floruit, frequentavi. Maturitatis testimonio instructus, hic me anni MDCCCXXXII. a rectore magnifico Ill. Weiss in album universitatis Friedericae Guilelmae sum inscriptus. His vero virorum celeberrimorum ac doctissimorum scholis me inter fuisse glorior:

Ill. Schulz tradidit mihi encycloplaediam et methodologiam medicinae; Ill. Schlemm anatomiam corporis humani sani universam, osteologiam syndesmologiam, Ill. Müller physiologiam et anatomiam organorum sensuum, Beat. F. Hufeland pathologiam generalem; Ill. Mitscherlich chemiam; Ill. Kunth Botanicen; Cel. Seebeck Acusticen; Beat. Schleiermacher Psychologiam Neque defui cadaveribus dissecandis, ducibus Ill. Müller et Schlemm. Vere a. MDCCCXXXIV. aliam petii universitatem Bonnensem ubi has frequentavi lectiones. Ill. Nasse de therapia generali et do cerebri physiologia et pathologia, Cel. Weber et Ill. Meyer de anatomia comparata. Cel. Bergemann de chemia organica. Cel. Tre-

viranum de Botanice, Ill. Delbrück de historia litterarum Berolinum reversus his interfui lectionibus. Cel. Isensee de semiotice. de pathologia et therapia speciali et de materia medica, Ill. Horn de morbis syphiliticis, Ill. Rust de Chirurgia, Ill. Jüngken de morbis oculorum, Ill. Kluge de arte obstretitia et de luxationibus et fracturis; Ill. Osann de Germaniae fontibus salutaribus. Porro frequetavi clinica tam chirurgica quam medica et obstetricia virorum. Ill. Rust, Trüstädt, Jüngken, Kluge, Wolff, Beat. Bartels.

Omnibus hisce professoribus gratias quam maximas debeo, eorumque de me bene merita pio gratoque animo venerari nunquam desinam.

Anno MDCCCXXXVIII in legione pedestri nona, quam Colbergensem nominant, medici inferioris munus accepi, quo etiam nunc fungor.

Tentaminibus tam philosophico quam medico nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine, superatis, spero fore ut summis in medicina et chirurgia honoribus mox ornatus evadam.

T H E S E S.

1. *Certa graviditatis signa sunt.*
 2. *Prognosis in rheumatismis acutis semper valde dubia.*
 3. *In nullo morbo vis vitae adaucta est.*
 4. *In morbis syphiliticis curandis Hydrargyri praeparata sunt rejicienda.*
-

T H E S I S

1. Certe quodlibet signum est.
 2. Proportio in rationibus certis est.
 3. In nullo modo est ratio certis.
 4. In nullo appellatione certis est.
- quodlibet sunt res certae.



D
E
R
L
Ja



TIGHT
GUTTERS.